



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 8. Politia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

PRUSSIA igitur olim Imperio subdita tempore Friderici II. Equitibus Teutonicis parebat, qui eam vi ad Christianam religionem compulerant. Sed illa exosa dominos suos, sese Polono subdidit anno 1454. tempore Casimiri, qui retudit Equites, eosque ad pacem compulit, iniquioribus conditionibus: tum enim Prussia, quæ inde Regia dicta est, Polono cessit, reliquum Magistro Teutonico: sed demum sub Sigismundo, Marchio Brandenburgicus Albertus creatus est Dux Prussiæ, eamque abolito Magistratu accepit hæreditatiam.

LIVONIÆ quoque pars erepta est fratribus Enfigeris, ac denique regnante Sigismundo Augusto prædicti Sigismundi filio, Gotardus Ketler ultimus Magister ordinis Liuonici exautoratus est, factusque Dux Curlandiæ, & Semigalliaæ secularis; ea tamen legge, ut ab Rege Poloniæ penderet.

Olim & Palatinus, seu Voieuoda Transiluaniae fuit Poloni cliens, sicut & postea duo discreti Valachus, & Multanicus, ex quo & natus tertius Bessarabicus: sed hunc Palatinatum Turca occupauit; alij duo in clientelam Ottomanicam transferunt.

### §. 8. Politia.

HIC status est ex Monarchico, & Aristocratico temperatus. Rex eligitur à Senatu & Nobilitate, semper tamen demortui filius secundum leges Regni. Ad Varsouiam sub pellibus eligitur, præsidente his comitiis Archiep. Gnesnensi. In postremâ electione numerati sunt equorum 100. millia. Rex nihil potest statuere in Clerum & Nobilitatem, sed eorum res in Comitiis terminantur. Eligit tamen Rex Palatinos, & beneficia confert: itaque demereri potest nobiles suos, vexare non potest. Quotannis Comitia celebrantur, in quibus Castellanus Cracoviæ præcedit Palatinos. Palatinatus in Castellanias, hæ in Præfecturas Gouvernementis diuiduntur. Leges olim habebant Poloni paucas, nunc vtuntur pluribus à Sigismundo Augusto prolati, aut ordinatis. Nobiles in suis agris ius dicunt, sed in exercitu omnium rerum cognitio ad Regem devoluitur. Olim Rex duodecim millions auri seponebat, nunc tantum sex. Quid copiarum scribere possit intelligimus ex Vladislao qui nostra ætate occurrit Turcis cum 170. millibus; certè intramensem aiunt armare posse 100. milia Equitum ad tuendos agros suos: paucas arcas habent, fortitudinem suam pro arcibus esse gloriantur.

D d ij